EPISTOLA

P. EMMANUELIS

VAN OUTERS

E SOCIETATE JESU

S. Litterarum interpretis



A D

D. JOANNEM FRANCISCUM

DE LADERSOUS

PHILOSOPHIÆ PROFESSOREM

LOVANII

Doctissime Domine atque olim Carissime, & nunc non invise.

PRælegit mihi hodie scriptum tuum quidam è discipulis. Vix cæperat, mox subibat animum illud Ciceroni aliquoties facetè usurpatum, *quoniam semel capi esse impudens, ero gnaviter.* Ipsâ inscriptionis insolentiâ non modicè commovebar, in qua Philosophiæ Professor, nondum Sacris initiatus Ordinibus, emeritum Theologum, Religiosum, Sacerdotem in ipsa fronte, ut pueris elementariis omnibus in notitiam veniat, *Calumniatorem* appellas. Certè modestia P. Bolck alios te mores docere debuisset. Nulla tui in ipsa inscriptione mentio: aversâ tantum paginâ compares, nihil in reliquo scripto duri, nihil inurbani. *Tu non nisi rusticatim ferù urbanatim nesciens*, ut cum veteri illo loquar. Quanta ad hæc atque illa præsertim quæ in Disputatione peracta sunt me subierit admiratio vix possum verbis exponere. Ei qui Primum referebat, fidem non habui. Meus, aiebam, Franciscus coram in os honorato Viro in tam celebri consessu contumeliam, calumniosè tam impudenter ut refers, impingat? Non credo, non nosti Virum: alium quemdam pro eo acceperis. Non cadit in mores ejusmodi flagitium. Novi ejus ingenium, novi indolem. Neque prius ab hac mea mente destiti, quam unus atque alter accederet, isque qui eodem tecum tempore Mechliniæ Litteris operam dederat. Hujus meæ nimiæ credulitatis nunc tandem pænas do, quod mirum etiam tibi. Collegarum sales ferre possum, qui laudes in te aggestas, facetè jam regerunt, & addunt; *I nunc cum illo tuo*; at quod tu mihi insultes, prorsus indignum atque intolerandum est. Totum meum crimen est laudasse te, id tu ipse nescio an laudum impatiens ulcisceris more inter homines inusitato. Negavi Te de Jansenismo debere esse suspectum: Collegis meis narravi atque Patri Bolck Te famosum Arnaldicum effugium de Quæstione Facti habere in causa Jansenii pro frigida & inani cavillatione: Te Jansenii Librum & doctrinam tam legitimè damnatam censere. Quàm legitimè approbatam habes doctrinam S. Aug. de Gratia contra Pelagium, quæ si negas à Te mihi dicta, nega pariter Te umquam mecum familiariter congressum. Hisce adjeci & illud de formulari, propter quod calumniæ postulor. Nunc te judice, *cum Te laudavi tum sum mentitus: ob unum hoc, Hæc & major erat debita pœna mihi*, ut noto Scaligeri versu abutar. Ut autem conficias me calumniatum esse hoc telo uteris egregie Philosophe & Rhetor insignis? P. Bolck, P. Maes, P. de Hornes Sodales ejus, quem accuso calumniati sunt, ergo & ipse calumniatus est. Argumentum simile an tu umquam vel inter Rhetoricos colores reperisti? Certè illo dilutior esse

non

non poteſt : & tamen adhibes primo loco. Aliud tuum hoc loco flagitium eſt , quod ex actu unico habitum colligas , ſimile huic , ac ſi ex eo quod tres quatuorve ejuſdem Seminarii Alumnos ſic vidiſſes madidos , ut nec pes , nec ratio officium faceret , concluderes & alios ſic madêre , atque adeò totum iſtud Theologorum Seminarium eſſe ebrioſorum. Rurſus non mediocriter peccas tu qui in Principe contentionis tuæ cauſa nullum teſtem habes , quam non tantum factionis tuæ ſocium, verum etiam ut vocas Confratrem , & Bruxellenſem Parochum , cujus ſpiritus novæ reformationis plenus Bruxellenſibus ſatis notus eſt. Ita arcem prodis , dum ſepta defendis : ſic enim pronum erit colligere D. Laderſous convictus eſt de mendacio & calumnia non una: ergo & Confrater ejus , ſivè contubernalis , & Paſtor Bruxellenſis ejuſdem factionis ſocii de calumnia debent eſſe ſuſpecti , vel de mendacio in dicendo teſtimonio. Verum leviora hæc mittamus.

Da veniam doctiſſime Magiſter noſtin quid ſignificet latinè calumnia, atque adeo quid loquaris & ſcribas? Nonius Latinis probatus auctor ait eſſe *malitioſam & mendacem infamationem* , alii *vexationem alicujus in litibus per fraudem & fruſtrationem* , *aut rei alicujus malitioſam interpretationem* ex qua notione liquet quoque quid ſignificet verbum *calumniari*. Indubiè ſciviſſe , & ſcire te dices , & me fortè Magiſtro te didiciſſe : nam ſi ignoraſſe te reſpondeas , & cum mendacio confudiſſe, vix credet aliquis , & ſimilis reſponſio Latinæ Grammatices Studioſo , vel puero non mediocri natium diſcrimine ſtaret apud non Orbilios. Certè ego non ferociſſimus impunè non tuliſſem. Statuo igitur ſciviſſe te , & non unius calumniæ ſole meridiano clarius te convinco. Ordior à P. Bolck , cui præcipuè infenſus es , neſcio quo ejus merito, hoc ſcio ejus commendationem non parum contuliſſe apud Illuſtmum. Virum ad obtinendas Litteras commendatitias, quibus Spartam philoſophicam aſſecutus es , qua nunc tantoperè inſoleſcis : hunc tu Virum calumniæ poſtulas , quod Abbati Diligemenſi narraverit autore me non abhorrere te à formula juriſjurandi , quam Belgii Epiſcopi exigunt in cauſa Janſenii. Expende nunc ſupradictas Romanas calumniæ definitiones , & vide ſis ſodes aliquid ſimile exſculpas. Si Nonij arripias , *malitioſam* habes & *mendacem infamationem* : jam in narratione Patris Bolck quid quæſo eſt *malitioſi ?* quid *mendax* ſaltem reſpectu ejus ? Quid deniquè *infamans ?* ad ſecundam igitur & uberiorem deſcriptionem confugies , ſed neque hic quidquam erit ſubſidii , neque enim *vexavit te in lite* accipiendo vocem hanc quantumvis latè P. Bolck *per fraudem & fruſtrationem* , *aut rei alicujus malitioſam interpretationem*. Quidquid de te dixit honorificum eſt,& apud omnes indubitatè orthodoxos per quam laudabilie. Reſtat igitur , ut tu calumniatus ſis illum calumniari. Nam calumniæ reum ,

Virum innocentem proclamare, & ut talem scripto publico traducere indubiè actio est malitiosa, & mendax infamatio.

Jam ad Patrem Maes, quem ex eadem fidelia eodem nigerrimo colore aspergis; quâ quæso in re ille calumniatus est? Negavit primò, ut ais (de rei veritate viderit Pater Maes, ego tantisper credo) formulam Antistitum Romano ullo decreto esse antiquatam. Applica, si potes, calumniæ definitiones huic dicto, quod evidens est esse verissimum, nam negotium istud Romæ etiamnum agitari, neque hactenus terminatum ultimis Romanis Litteris accepi, pluresque alii Litteras idem testantes accepêre. Nihil igitur in dicto *mendax, malitiosum* nihil; quænam enim hic umbra malitiæ? nihil *infamans*; quid restet vides mi Francisce, nempe rursus te Viro innocenti calumniæ notam temerè illevisse.

Alterum est, in quo criminaris Patrem Maes, nempe constanter illum affirmasse, Belgii Episcopos propositi tenaces stare, & juramentum adhuc ab initiandis exigere, cui ejus dicto applica rursus, si potes, notionem calumniæ & Vir eris; si non potes; agnosce flagitium tuum.

Tertium est, quod idem Pater Viros quosdam Eximios contraria supradictis de formulæ fortuna testantes ut impostores *&c.* exploserit. Hic & ego P. Maes habebo pro calumniatore, si probaveris mentitum esse, nam hoc ejus dictum verè esset *malitiosa & mendax infamatio:* interim donec id præstes, patere, ut te pro calumniatore habeam.

Gradum indè sternis ad P. de Hornes, cui pariter non verêris fædum calumniæ crimen allinere. Vix hoc loco stylo temperare possum. Tu nudiustertius ex umbra in lucem protractus id ausis in Virum è Principe Belgii Nobilitate, tu, inquam, tu in eum, qui relicto Amplissimo Sacerdotio, sive Canonicatu Coloniensi Bonorum ac dignitatum spe præcisâ, quas velut certas pollicebantur præstans ingenium, indoles Viro Principe digna, mores optimi, amor scientiarum, studiorum patientia, corporis vigor ac robur, aptissimaque ac solidissima confirmatio, adeo ut tam nobili animo dignius habitaculum natura formare vix posset, Societati Jesu se mancipavit, ac Christi obsequiis totum devovit, tu talem Virum sub virtutis vexillo jam canum maledicto tam atroci vulnerare sustines? Quod si parentis ejus pueris honorariis, aut servo etiam à pedibus simile conuicium impegisses, quam malè mulctatus, & fuste egregie dedolatus abisses, nam solet ejusmodi convicii apud hos fustuarium mercès esse. Non est, quod quidquam timeas à P. de Hornes, Vir est minimè vindictæ appetens & lacessitus jam pluries Christo donavit hominum petulantium injurias.

At si Excellentissimo Comiti Egmontio, aut Illustrissimis Principibus Hornano, sivè Bassignio, & Tassio, sivè de la Tour, ejus aut Nepotibus, aut ei sanguine proximè junctis ea nobilissimæ Familiæ in ejus

illu-

illustri membro inusta nota innotuerit, quid te maneat, nolo augurari. Principibus Viris rarò impunè illuditur.

Jam videamus, quid causæ sit cur Viro adeò præstanti dicam tam infamem scribas, in publica scilicet disputatione testatus est Antverpiensem Antistitem ultimâ S Ordinum collatione juramentum ab initiandis exegisse. Hæc criminis summa: non est opus rursus te mittam ad calumniæ notionem, vides ipse, si quid vides, te hic ut supra turpissimè lapsum. At mendacium esse contendes, & quidem malitiosum. Verum contendunt alii esse ipsissimam veritatem. Etiam hodie Vir fide dignissimus, qui multis jam annis Antverpiæ Theologiam docuit, & multam habet in Antistitis Aula consuetudinem testatur juramentum à discipulis suis exactum. Quidquid de re sit, de qua facilè constare potest, illud certum est P. de Hornes minimè calumniatum esse, imò an mentitus sit, quod de tali Viro suspicari nefas probus quisque dixerit, solus Deus novit, qui mentium arcana scrutatur, etiamsi dictum ejus falsum foret.

De me opus non video, ut loquar, nam mendacium, quod adscribere mihi pro tua urbanitate dignaris, officiosum esse agnoscis; nihil igitur in eo quod calumniam sapiat, in quo non nisi laudes tuæ, saltem quæ apud bonos habentur laudes, occurrunt. Cæterum toto hoc mihi loco comicos servos æmulari visus es, qui, cum toti sint ex fraudibus, & mendaciis consuti, obvium quemque fraudis & mendacii arcessunt, & tantum non rapiunt in jus. Venio nunc ad alterum tuum argumentum capitale, quo calumniam in me retorques, ut pueriliter gloriaris. Summa ejus in jurisjurandi oblatione consistit. Næ tu conscientiam habes mirificè delicatam mi Francisce ubi de juramento agitur à Pontificibus Romanis præscripto, ab Ecclesia Gallicana ad extirpandam hæresim veluti necessario remedio usurpato, quod Sorbona, quod omnes Galliæ Academiæ adhibent ad exploranda suorum Alumnorum ingenia, quod Episcopi Belgii prudenti consilio, dubio hoc & periculoso tempore ab initiandis exigunt, quorum præcepto doctissimæ ac Nobilissimæ è Religiosis familiis suos parere jubent, seu potius suadent aut sinunt (imò Religiosi parent ultrò gaudentesque sperantes hac viâ hæreseos exitium) quod Sapientissimi DD: Academiæ Lovaniensis, quorum Orthodoxia nemini suspecta est quales sunt, Ampl. Vicarius Sylvæducensis, Exim. D. Marcelis, Ex. Martin, Ex. Damen, è sæculari clero, è Religiosis Familiis *Augustiniana* Ex. P. le Drou ob egregias virtutis ingeniique dotes ab Innocentio XII. ad infulas aliasque dignitates Romæ evectus, Eximius Pater Pauwens, Ex. P. Clenaerts, Ex. P. Desirant, Ex P. Parys, Ex. P. Mellyn, *è Dominicana Familia* Ex. P. Hurnæus, Ex. P. du Jardin, Ex. P. d'Engien, & quotquot sunt ex eadem Doctores Lovanienses probant, ingens animum tuum religio incessit, mille scrupu-

 lis

lis angeris, jurare periculosum est, juramenti comites [illegible] adiosè prius attendendi sunt : nunc in re nihili ultrò jusjurandum offers. tanti scilicet est calumniam retorquêre. Quid quæso famæ tuæ aut existimationis interest dixeris paratum te formulæ subscribere, non dixeris. Quid tuâ intererat ut jurejurando redimere æquum censeres ? Solo silentiò defungi poteras. Constitisset satis tibi fama apud tuos qui simulare, seque Jansenii hostes fingere in loco habent familiare, posituri, ubi tempus est, larvam. Neque jam quidquam inde jacturæ pateris nisi quod orthodoxi te noverint, quibus tu te ipse prodidisti. Ne igitur de veritate, quæ est una è Comitibus legitimi jurisjurandi solum agam, causæ gravitas sivè justitia deficere videtur ; quæ si adesse prudentum judicio censebitur, neque ego detrecto jusjurandum. Sumus igitur in hoc pares, quamquam apud Romanos olim tanta erat Sacerdotum dignitas, ut in causis civilibus, jurare eis lege esset vetitum, sed nuda eorum affirmatione standum Judices censerent.

At qua ratione perjurio te eximeres ? Duplex fortè tibi occurrisse potuit ; altera si hæreres in verborum cortice aut apices syllabarum captares, non dixi scilicet *paratus sum*, sed *alienus non sum*, *non abhorreo*, *probo consilium Antistitum* &c. non autem si rem ipsam. Ad hoc quam indignum sit non est opus inculcare; altera si me mentitum jurares & per *mentiri* intelligeres quod nonnulli solent, vanum esse, vel deceptum decepisse alios (at hoc esset ludere in ambiguitate verbi, homines frustrari, quod nulla non de causa vobis publicè disputantibus & in lycæo grande nefas est, nescio, an etiam in foro, Deus scit) ita lubens fateor mentitum esse me, idque non detrecto si Montaltianâ tubâ per Belgii & Galliæ Angulos omnes publicari jubeas *cum te laudabam tum sum mentitus* &c.

Captus scilicet vultu verbisque tuis induci me sivi tuque triumphabas interim & tacitus fortè dicebas : habet, captus est : atque idcircò aiebas me non esse è vafris illis & politicis Jesuitis, sed hominem pectore atque animo rotundo talemque audire apud Academicos : verum nescio an non frustrà tum gloriatus sis: nam dictis tuis non omnem tunc habui fidem, nisi accessisset testimonium Primarii ex Academia Lovaniensi Viri & multis inclyti clientelis qui te bonarum partium Studiosum esse affirmabat, numquam fuissem adeò constanter in tuas laudes effusus. Vir autem ille est ex ardentissimis formulæ propugnatoribus, & ille hac in parte Vanus Vanum me fecit ; cæterum novæ sectæ indoles mihi erat satis perspecta. Videram Theologiæ candidatus sat multos, qui domum nostram velut Nicodemi frequentabant, bonæ se causæ Studiosos omnibus probabant modis per se perque amicos prensabant, qui ubi Jesuitarum commendatione eò quo collimabant dignitatis evecti erant, nec amplioris spes affulgeret, virus animo latens prodidêre, Jesuitasque non aliâ gratiarum actione, quàm scommatis, injuriosisque nomi-

mi-

minibus dignati sunt : Molliores alii limen nostrum ; ac si domus esset peste tacta exin non tetigêre. Atque hic istorum hominum genius Jesuitis omnibus satis est notus, adeò ut vafritie aut politicâ opus non sit ad detegendum. At quoniam de Jesuitarum politicâ hîc sermo, qualis ea sit, juvat exponere. Non aliam colunt Jesuitæ politicam, quàm quæ est JESU CHRISTI & Apostolorum & si quæ sit veterum Philosophorum illi conformis, quàm quæ est ars continerdi in officio homines, cui studio multum nos deditos ultrò fatemur, nihil non juxta æqui Sanctique rationem exequens, illam verò profanam, cui sus deque sunt omnia æquum & iniquum, Terra & Cælum, Religionum omnium legumque contemptrix odio acerrimo prosequimur, scriptisque libris convellimus, &, quantum in nobis est, hominum animis eiicimus. Adeò Societas nostra inter suos ingenia ejusmodi non tolerat, ut ne quidem ferat inter alienos.

Videndum jam utri plus fidei in hoc negotio debeatur, tibine an mihi, tibi cui quamvis Clerico vestis adhuc dicitur esse duplex animusque duplex esse potest, paratus seu divitem uxorem ducere seu pingue Sacerdotium : an mihi Religioso & Sacerdoti? Tibine de mendacio & calumniâ non unâ convicto, an mihi qui convictus hactenus non sum neque convinci possum? Convictum autem esse te ipsa tua scriptio plus satis prodit. Quod enim miserabilius effugium, aut pallium calumniæ esse potest quàm quod in causa Caubergensis Abbatis Legulejus quidam tibi suffecit. Non decepit Abbatem P. Bolck per se, sed per juvenem Religiosum, verùm per me licet sit huic effugio locus, non ideò minus calumniator es ; nam undè, vel quâ ratione probas P. Bolck dolo malo usum, nequiterque versatum quando injectos vestris argutiis & sophismatis Religioso juveni scrupulos exemit, an non potuit id solidis agere verisque rationibus cum id tot libri quotidiè præstent ? certè verisimillimum est ipsum in persuadendo potentissimum ac subtilissimum in ratiocinando dolo malo non indiguisse. At, inquies, Pastor meus testatur, exclamasse non itâ multò post Abbatem : *deceptus sum*, *deceptus sum* : verum testetur Pastor tuus, non repugno ; facilè potest quis deceptum se credere qui deceptus non est, neque semper dolosè ac nequiter decipiuntur qui decipiuntur: emerit quis gemmarum & pretiosiorum lapidum imperitus à mercatore bonæ fidei lapidem pretiosum, audiat alium postea qui se peritum jactat, contendentem non esse nisi vitrum, facilè exclamamabit deceptum esse se, licet reipsâ deceptus non sit. Non operosum fuerit alicui è sophistis vestris, seni optimo, cui longo amicitiæ usu copulor, argutiis suis & vanis subtilitatibus quarum ætas grandis ipsum jam immemorem reddidit, voces ejusmodi extorquêre, quas rectius edoctus haud difficulter retractabit ut confido, at ego in ejus verbis

veritatem

veritatem suspicio, qualis erat in verbis Caiphæ cum diceret : expedit ut homo unus&c. verè deceptus erat bonus Abbas non à P. Bolck aut Religioso juvene, sed à perfido sophista. Vides itaque hic adhuc teneri te calumniæ manifestè reum.

Quod de Amplissimo Grimbergensi Abbate diceres nihil habuisti,undè nullibi magis in tuo scripto apparet hominis cum veritate luctantis imago. Negas scilicet ejus meminisse te : nosti testes sexcentos adduci posse, qui præcipuam de Abbate hoc contentionem fuisse affirment protestante sæpius P. Bolck *non nosse se utrum esset albus an ater homo* ; id est, numquam eum à se quod sciret visum , undè & mox petitum ab illo testimonium atque obtentum quo jugularis , licet ipse prior eum accesseris, atque in partes tuas trahere conatus sis. Verùm, inquis, nominaverim eum, certè mens mea nominare non fuit. Præclarum velum quo mendacium & calumniam quamlibet tegas , dixi id quidem sed non erat mea mens. Ita multa dixisti mihi, sed non erat tua mens, ideo fortè unum è dictis securè negas. Sed hoc ipsum turpissimum est quod mens tua verbis non respondeat, hoc ipsum enim est quod mentiri dicimus. Jam tot alii qui scriptum tuum integrum lustrarunt,& spectaculo interfuerunt, tot illud turgêre mendaciis aiunt ; ut si calculator Scioppius quidam accederet tot ex eo mendacia subduceret numerando, quot ille in Scaligero Hypobolimæo ex una ejus de gentis suæ nobilitate ad Ianum Douzam epistola confecit nempe plus quam quingenta, inter quæ nonnulla dicuntur esse qualia Poëta describit.

Vt cum immensa cavi spirant mendacia folles.

Adeò ut injuriam tibi facere haud videatur qui te splendide mendacem, non splendidum mendacem ,ut tu barbarè, nuncupet. Est & alia ratio quæ lucem liti nostræ adferre possit, nempe illa Cassianæa *cui bono*, cui bono nempe veritatem ego prostituissem? an quia adeò te deperibam,tuisque amoribus eram fascinatus , ut sus deque haberem verum falsumvè dicere, Collegis meis ac Patri Bolck imponere ? Posteris id persuaseris. An ut autoritate tua & nomine usus plures panico timore territos à jurejurando metu avocatem ? Si Atlas aliquis Academiæ Lovaniensis fuisses, si paradoxa quædam te nobilitassent, quemadmodum Ex. Gummarum Huygens, & magna Orbis parte fecissent famosum, si Legatum te Romam pars Facultatis legasset ut ExHennebel,si concertationibus adversus Jesuitas inclaruisses?ut Ex. de Swaen speciem aliquam haberet hæc exceptio. At quid potuit obscurum Ladersousii nomen?illo, inquies,usus est P. Bolck ad flectendum Abbatem Diligemensem. ne quæso adeò tibi blandiare mi Francisce, tantus non es apud Amplissimum , ut major non sit Pater Bolck, qui conscientiam ejus moderatus est, & moderatur post tuas publicas invectivas : an Ampl. uteretur ejusmodi animæ directore

re, quem calumniatorem privatis in congressibus testatur. Crediderim verius esse sapientissimo Viro te suspectum fuisse, atque illam opinionem Patrem Bolck à me edoctum, aut potius à deluso delusum tollere voluisse. Nolo ego hoc loco suspectare unicum testem tuum, eumque domesticum; id namque decens haud existimo, nisi causa major accesserit. Unum miror, te à nemine Abbatum testimoniolum aliquod obtinere potuisse, cum P. Bolck tantum non ultro & prolixè scripto dederint. A Diligemensi autem nullum requisivit, cum judicaret id non facere ad causam. At ego, inquies, cui bono mentirer. Hoc nempè bono, veritati tu jam potes parcere, ut materiam triumphi inanis habeas, & calumnias in speciem retorquendi.

Superest ut pro veteri in te affectu monita quædam salutaria tibi suggeram quibus vitare contentiones similes post hac possis cautiorque evadas.

Nolito posthac eos adhibêre Consiliarios, quos in hac causa adhibuisti, qui cymbulam tuam non in portum, sed in scopulum direxerunt læti quod te hac ratione factioni suæ sic adjungerent, ut divelli ab ea dein vix posses. Æmulati sunt Brutum Tarquiniorum apud Romanos expulsorem qui ut odium plebis in Regem redderet irreconciliabile, Regiâ prædâ populum pavit, ut conscius flagitiis & pœnæ metuens tyrannum procul arcerent. Ita illi de re fortunaque tua parùm solliciti ad bellum orthodoxis formulæ patronis te perpetuum impulerunt, apud quos nisi multis rectè factis, & longo usu te probes, mutatumque præstes semper futurus sis suspectus.

Si quando consilii eges, ut ferè semper eget juventus, si me audis adito Principem hujus Academiæ Virum Ampl. Steyartium, cujus acre judicium, perspicax ingenium, optimus quisque probat, adito contubernalem ejus Ex. Damen aut Erud. & R. Adm. Dominum Plebanum amicum, ut mihi dicebas, tuum. Viri hi pro sua singulari moderatione juveniles tuos impetus facilè compescent, ab his portus sperandus est.

Si salutem tuam amas, bullis pareto Pontificiis & Jansenio valedicito, cujus lapsus ignorare non permitteris, adeòque sine pertinacia tueri non potes quod est flagitium omnium pœnè maximum. Amorem Academiæ Almæ Matris tuæ in eo collocato, ut erroris & novitatis umbram ab ea procul arceas, aut ab aliis arceri cupias.

Fortunam præsentem ferre discito.

Illa consortia diligenter vitato, in quibus Religiosas familias intemperantes linguæ maledictis ferè semper incessunt, & unius è grege lapsum toti cætui malitiosè tribuunt.

Pietatis exercitia quæ puer frequentabas, ut pensum Rosarii, gestamen Scapularis, Angeli Custodis cultum &c. & Virginis Matris ne inter-

termittito: fieri enim ſolet ut qui hæc provectiores negligunt, incidant in Religionis univerſæ contemptum.

Legito quotidiè librum aliquem de urbanitate & bonis moribus rectâque adoleſcentum inſtitutione ut tibi tuiſque proſis.

Memento majoribus natu ſemper aſſurgere, virtutem ac nobilitatem vereri, inſtitutoribus qui Parentum loco habendi ſunt deferre, ut & tui tibi olim deferant diſcipuli; quod ſi feciſſes, non adeò inclementer & inverecundè excepiſſes Ex. Patrem Clenaerts, cui cum defectus naturales exprobras, oſtendis te humanitatis omnis immemorem, & tantum nou velut inteſtabilem proſcripſiſſes quod Rectorem Magnificum cæteroſque Sapientisſimos hujus Nobilisſimæ Academiæ cuſtodes pro prudentia & æquitate impunitum non paſſuros exiſtimo, ne vis peſſimi exempli perniciem trahat veniens in ævum. Uſque adeone ſectæ amor ingenia hominum efferat!

Scientiam, quæ ſuperbos reddit, humilitatis & modeſtiæ exercitiis ornato.

Numquam publicè loquitor niſi meditatus, & ſcientiæ tuæ limites non excedito.

Aliqua ex poſtremis his monitis non adjeciſſem, niſi viderem te quæ puer avidè hauſeras inter Academicos tumultus oblitum. Vale mi Franciſce meque ama neque hæc mea monita in ſiniſtram partem accipe ſed eo quo profecta ſunt animo, id eſt felicitatis tuæ ſtudioſo.

Hæc è lectulo dictabam 24. Julii, cum febris immineret quæ ſolito humanior tantiſper retardari viſa eſt, & tempus mihi largiri ad Epiſtolam hanc abſolvendam.

Doctiſſime Domine

Studioſisſimus tui

J. V. O.

